

te est de peccatorum seu culparum venia; ideo enim tot hic accumulatur vocabula, ut tota peccatorum humani generis colluvies comprehenderetur, ut a nonnullis adnotatum est (a); iustitia pariter adferenda dicitur *æterna* id est perennis, perpetua, itaque exploditur violenta interpretatio sive de pœna peccatorum, sive de iustitia legali, aut de libertate antiqua recuperanda, cum potius ex vaticinio denuncientur infidelis populi extrema desolatio ac punitio, et abrogatio totius legalis iustitiæ (b).

Ad 4. N. consequentiam ex falsis præmissis deductam; quod si Harduin et Calmet, non excludendo tamen relationem vaticinii ad Messiam, ex parte concesserunt in expositionem Marshami, imprudenter ac levibus momentis inducti ita se gesserunt, ac iisdem argumentis refelluntur quibus Marshami aliorumque anti-messianorum expositio excluditur.

Ad 5. R. Imo pessime conjecturam hanc suam intu-

(a) Sane quæ annuntiantur in tribus prioribus membris accurate referuntur ad peccatorum confessionem a Daniele factam v. 5. lujus capitis, in qua non agitur de peccatorum pœna, aut tantum de peccatis typicis, sed agitur de peccatis proprie dictis; inquit enim: « Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus et declinavimus a mandatis tuis et iudiciis. » Ergo nisi dicere velimus Angelum v. 22. Danieli enunciasse aliquid ipsius petitioni contrarium, fatendum est non de peccatorum pœna, sed de peccatis ipsis hic agi; ac propterea hoc salutis nuntio mitigatur horror de futuro Urbis et templi excidio.

(b) Ideo hæc iustitia *æterna* vocatur, quia ex æterno Dei decreto originem habet, et quia durationem æternam habere debet per oppositionem ad transitoria dona iustitiæ et gratiæ fœderis antiqui et ad omnes res creatas et mutationi obnoxias. Hæc expositio fundatur in vetustis translatoribus, LXX., Theod., vulg., syr. et antiquioribus interpretibus, si quosdam excepias, ut R. Barachiam in Berescit rabba ad v. 14. dicentem: « Iste est Rex Messias, de quo scriptum est Dan. IX. et ad adducendam iustitiam seculorum vel sempiternam » apud Ray. Martini p. 285. ed. cit. Verum horum expositio facile cum priori componitur, cum agatur de æterno ipsius auctore.

J. D. Michaelis et post eum recentiores aliqui exponunt hæc vaticinii verba hac ratione: « Ad reddendam innocentiam pristinorum temporum: » at frustra, i. quia sermo non est de iustitia *subjectiva*, seu *subjectiva* probitate, sed de iustitia *objectiva* quatenus donum Dei est perinde ac ablatio et venia peccatorum, de qua superioribus verbis agitur, quæ pariter *objectiva* est; cf. Ps. CXXXI. 9. Quia 2. extollitur a Daniele (II. 44. VII. 18, 27.) æternitas Messiani regni ejusque donorum; 3. quia falsum est לְעוֹלָם originarie longiorem dumtaxat indeterminatam durationem, non vero *æternitatem* denotare, ut pluribus ostendit Hengstenberg I. c. p. 427. seqq. Atque ex his corrumpunt alia interpretationes eorum qui per iustitiam æternam contendunt significari *antiquam*; tum eorum qui *subjectivam* atque hyperbolicam sensum his verbis inesse autè want, cum nulla causa ipsius afferri possit; tum denique eorum qui cum Bertholdt volunt exprimi antiquam *libertatem* a jugo politico et religioso. Omnes enim ejusmodi recentiorum interpretationes distortæ sunt atque ex erronea hypothesi ortæ circa relationem totius hujus versus. Naturalis et obvius sensus neque Michaelisio, neque Jahnio arridet, qui versum istum referunt ad tempus immediate exilium babilonicum subsequens; neque Bertholdt, qui refert ad epocham post oppressionem Antiochi Epiphaniis. Aptè huic versui respondet Ps. LXVIII. 28.

lerunt Bertholdt ac Rosen Müller. 1. quia non veniunt, etsi christianos se profiteantur, mendacii arguere Christum ipsum, qui Math. XXIV. 15. non solum Danieli adscribit vaticinium de futura templi desolatione, sed præterea illud adducit tanquam veraciter reale, et quoad illa, quæ Urbem et templum spectant, adhuc implendum dicens: « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta (non a pseudo-Daniele) stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. » Eadem leguntur Marc. XIII. 14. Luc. XXI. 20. 2. Quia suppositivus hic Auctor, in adversario-rum hypothesi, falsitatis pariter arguisset Jeremiam, eique aperte illusisset. 3. Quia nemini fucum facere potuisset, cum universa gens oraculum Jeremiæ semper intellexerit de septuaginta captivitatis annis (a). 4. Quia est contra factum; Auctor enim noster tam c. I. 21. quam IX. 2. supponit predictionem 70. annorum, ac se præbet ejusdem redemptionis temporis spectatorem, utpote qui affirmet se primo Cyri anno vixisse. 5. Quia induxisset Danielem in historia, et chronologia imperitissimum et sibi repugnantem (b). 6. Intelligi nequit quomodo hic fictivus Daniel potius posuerit ut terminum sui vaticinii perpetuum desolationem, quam adeptam libertatem per Machabæos, cum supponatur hic auctor scripsisse post ejusmodi epocham. 7. Ut alia præteream evertitur absurda istorum hypothesis ex concordia traditionis hebraicæ testimonio. Cf. I. I. Mach. VIII. et XI., Josephum Flav. de Bello judaico I. VI. c. V. IX. His adde expectationem generalem tempore Christi tum ex hoc vaticinio tum ex c. II. de quarto regno provenientem. Hinc neque posteriores expositores judæi ausi unquam sunt huic testimonio sibi adeo infausto, in disputationibus cum christianis, renuntiare, vel ejus relationem ad Messiam et judæici populi per romanos everisionem denegare (c). Concludendum proinde restat, ejusmodi rationalistarum ac biblicorum hypothesin monumentum ineluctabile esse incredulitatis et impietatis, in quam ipsi ex principio protestantico prolapsi sunt.

II. Obj. Supposita etiam authentia illorum vaticiniorum, tamen illa loca minime liceret ita sumere, quasi certa et accurata in illis temporis determinatio seu definitio circa initium et complementum regni Messiani assignaretur. Nam 1. si Redemptor Angelis

(a) Cf. II. Paralip. XXXVI. 21.

(b) Etenim tempus a Cyro ad mortem Antiochi Epiphaniis tunc esset an. 441. (LXIII. hebdom. ann.), quam tamen fluxerint anni 572. quare haberetur error calculi circiter 69. ann. Angelus adhuc hic error ex assertionem illorum interpretum e. g. Bertholdt p. 716., quod scilicet auctor noverit post Cyrum tantum quatuor reges Persarum, et Cyrum ab Alexandro victum esse asserat. Persia igitur periodus 147. annis brevior esset, et isti 147. una cum illis 69. annis adijci deberent aere Seleucidarum. Hæc proinde constaret an. 380. inter octo reges una cum ipso Antiocho Epiphane distribuendis. Hic porro error talis est, ut ignorantiam supinam prorsus supponat, cum tamen Daniel peritissimum se ostendat in historia et chronologia.

(c) Cf. Schoettgen. de Messia lib. II. p. 264.

ipsis in cælo, imo sibi talem futuri cognitionem quoad tempus et horam denegat Math. XXIV. 56. Marc. XIII. 22. et etiam post suam resurrectionem Act. I. 6. 7., minime supponere possumus hanc concessam fuisse alii prophetae, ipsique valde anteriori, ita ut potuerit innotescere populo suo illud tempus juxta chronologiam exactum, sive in usitata, sive in quavis mystica temporis mensura; quatenus scilicet ista spectatur prout determinata (a). Sane 2. incredibile est Deum voluisse ut a chronologia fides penderet (b); concludendum igitur nullatenus determinatam esse ac definitam in Danielis vaticinio epocham adventus futuri Messia.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Denegat Redemptor Angelis ipsius cognitionem gloriosæ suæ manifestationis die judicii, seu secundi ipsius adventus, C. cognitionem denegat primi sui in terram adventus N. Porro in citatis locis unice de secundo adventu Christi in terras glorioso sermo est ac de extremo judicii die, qui utique etiamnum Angelos latet et homines, cum Deus nemini revelare voluerit. At ex hoc minime sequitur Deum non revelasse tempus primi Messia adventus; contrarium enim constat ex facto, non solum enim Daniel, sed et Jacob, ac prophetae alii promissi Messia adventus epocham prænunderunt. Ita autem prorsus fieri debuisset ratio ipsa suadet; cum enim humilis et privatus esse deberet ejusmodi adventus, de eo præmonendi erant homines, ne deciperentur: quæ ratio profecto non militat pro gloriosa ejusdem manifestatione quæ in omnium oculos incurret.

Quod vero adijciunt, Redemptorem sibi talem denegasse futuri cognitionem alias disjecimus animadvertentes Christum non potuisse hunc diem ignorare cum omnia signa indicaverit quæ ipsum præcedent; eo magis quod ipse, ut ostendimus, Deus sit: hinc necessario inferendum est ipsum locutum esse de illius diei manifestatione, cum dixit *Nemo scit neque Filius (c)*.

Ad 2. N. Alioquin jam nulla prophetia esset quæ chronologiam seu tempus futuri alicujus eventus determinaret, quod falsum esse patet tam ex omnibus illis vaticiniis in quibus tempus summa præcisione determinatur ac definitur tam in Veteri quam in Novo Testamento (d); tum ex omnibus prophetiis in quibus accidentales ac contingentes circumstantiæ adducuntur. In quo enim differunt a ceteris accidentalibus ac contingentibus adjunctis chronologicæ notæ? Vel igitur omnia ejusmodi vaticinia rejicienda erunt, vel admittendum nihil obesse, quominus Deus, in cujus potestate sunt tempora et momenta, efficere possit, ut fides nostra a temporis non minus quam a reliquis eventuum notis pendeat.

(a) Ita Bleek in *d. theol. Zeitschr.* seu *Ephemerid. theolog.* III. p. 254.

(b) Sic Cocceus apud Hengstenb. I. c. p. 522.

(c) Cf. tract. de Trinit. pag. 552, ad 5. Sed de hoc inferius iterum.

(d) Cf. Gen. XV. 15. Is. VII. 8. XVI. 14. XXI. 16. XXIII. 45. etc. Jerem. XXV. 11. XXVIII. 16. etc. ut alia innumera prope loca omittam in quibus tempus præfixum vaticiniorum determinatur.

III. Obj. Dato etiam quod Daniel tum de Messia vaticinetur, tum epocham ejusmodi adventus determinatam assignet, nondum tamen liquido constat an ejusmodi epocha elapsa sit. Equis enim 1. certo constituat Danielem de annorum hebdomadis potius quam de hebdomadis aut dierum aut septenniorum, aut jubileorum, cum nihil ipse posuerit ex quo certo constituere possimus de una potius quam de alia hebdomadam specie, cum fuisse locutum? Nihil præterea vetat 2. quominus septuaginta illas hebdomadas ita accipiamus, ut tres periodos a se invicem distinctas et disruptas efficiant quæ sibi minime immediate succedant; sane septem priores hebdomadas a sexaginta duabus aliis dividi ostendit accentus *Athnach* interpositus (a); postremam pariter a reliquis sexaginta novem divulsam esse tum ex se patet, cum nulla alioquin ratio foret peculiaris ipsius distinctionis, tum ex non paucis illis interpretibus qui harum hebdomadam adimplementum referunt ad finem judaicæ reipublicæ. His præmissis, cum incertum sit an longius vel brevius sit intervallum, quod intra quamlibet istarum periodorum intercedit, evidens est nihil certi statui posse circa elapsam vel non elapsam epocham a Daniele prænunderatam. Hinc 3. nec desunt ecclesiæ patres, qui ejusmodi epochæ adimplementum referant ad mundi finem. Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. dicimus naturam harum hebdomadarum multiplici ratione certo definiti posse: ac 1. non intelligendas esse de hebdomadis dierum substrata ipsa materia admonet, sexdecim enim mensium spatium rerum illarum amplitudini, quæ tum v. 24. tum seqq. prænunderant haudquaquam sufficienter; volens præterea Daniel c. X. 2. 3. hebdomadas dierum exprimere, vocem *dierum* semel iterumque adjecit, quo non obscure indicat hoc loco alias hebdomadas intelligendas esse. 2. Sic neque intelligi posse de hebdomadis septenniorum, vel jubileorum hoc vaticinium, ejusdem rerum gerendarum argumentum suadet, protraherentur enim res prænunderatæ ad 3450. annorum spatium si de hebdomadibus septenniorum; et ad annos 24,500, si de hebdomadibus jubileorum sermo esset, cum tamen Urbis ac templi excidium subsequaturam LXX. hebdomadibus prænunderentur, quod jamdiu adimpletum oculis nostris cernimus. 3. Restat igitur ut de solis hebdomadis annorum Danielem locutum esse necessario statuamus, quarum septuaginta efficiunt annos quadringentos et nonaginta. Ejusmodi hebdomadam usum in scripturis non infrequens est, commemorantur enim Levit. XXV. 8. Genes. XXIX. 27. 28. et alibi passim (b); sed neque ignote antiquis populis hebdo-

(a) Ita Rosenmüller in cap. IX. Dan. p. 345. seq. et ante ipsum Marshamum.

(b) Cf. Levit. XXVI. 54. 55. 45. et II. Paralip. XXXVI. 21. ubi septimus annus magnum Sabbatum, vel Sabbatum simpliciter vocatur. Quum igitur, ut innimus, causa præcipua cur Angelus septuaginta hebdomadas, seu Sabbata memoret sit relatio ad an. 70. Jeremiæ, prænunderavit septuagies septies ann. reversos Judæos ab exilio babilonico amplius commemoratos in terra patrum suorum, quam in exilio de-

nades annorum fuerunt, si quidem Marcus Varro, auctore A. Gellio Noct. Atticar. I. III. c. X. in primo librorum, qui inscribuntur *Hebdomades*, scribit, « se jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse. » Motivum præcipuum cur Daniel usurpaverit LXX. annorum hebdomadas desumitur ex relatione ad LXX. annos Jeremiæ, ita ut singulis eversionis annis responderent totidem annorum hebdomades usque ad novum ac postremum Urbis excidium quod post expletionem LXX. hebdomadam re ipsa contigit.

Ad 2. N. Responsum enim divinum, ut ex dictis constat, spatium integrum LXX. annorum hebdomadam complexum est, seu an. 490. intra quod omnia complenda essent quæ summam in v. 24. recensuit; distinctio propterea trium periodorum refertur ad eventum prædictorum diversitatem significandam, non autem ad jam præfinitum tempus protrahendum.

Neque obest accentus *Athnach* interpositus inter septem priores hebdomadas et reliquas LXII., cui adeo insisit Marshamus et quem reliqui interpretes non messiani, præcipue vero Bertholdi et Rosenmüller, secuti sunt. Illi enim pro certo sumunt *Athnachum* ibi tantum usurpari, ubi nos majorem interpunctionem adhibemus, quod tamen falsum est. Non raro enim quando sedes maximæ interpunctionis per se patet, etiam in incisus adhibetur *athnach*, ubi nos minore interpunctione utimur, ut impediatur quominus, quod separandum est, uniatur et jungatur (a); jam vero hoc in loco maximi momenti erat duo temporum spatia rite separare, ne arbitraria videretur distinctio.

fluxerint. Nullum profecto solatium Angelus Danieli attulisset si pro 70. annis eversionis alios 70. usque ad novum excidium decurrendos prædixisset. Addatur, 70. ductos per 7. constituisse sacrum numerum. Septem præterea hebdomadas annorum durabat cycclus, sub cuius finem civilis restitutio in integrum fiebat, postrema propterea LXX. hebdomadam annorum spectari debet ut summum omnium sabbatorum, et tempus integræ restitutionis spiritualis ad quam lex referebatur et prædicatur a Daniele futura v. 24. Atque hinc ratio redditur quare potius Angelus septuaginta hebdomadas, quam an. 490. nominaverit. Cf. Hengstenb. I. c. p. 408. seqq.

Animadvertendum præterea est adversus nonnullos veteres, Julium Africanum, Theodoretum, et recentiores Hactum, Pererium etc. hic non agi de annis lunaribus 554. dierum, sed de solaribus, dierum nempe 365. Etenim præterquam quod propheta quum non monnerit, se de annis lunaribus loqui obscuritatem ingessisset; ostendit præterea Prideaux Hist. des Juifs par. I. l. V. tempore Danielis nullibi annos lunares in usu fuisse. Sane cum idem Dan. XII. 7. prædixisset afflictionem populi duraturam per *tempus et tempus et dimidium temporis*, id est per tres annos et dimidium, deinde v. 11. idem spatium alia computatione per dies 1290. numerat. In quo numero licet 12 dies prædictorum annorum solarium quantitatem superent, tamen exigua hæc discrepantia conferri nequit cum defectu dierum 51. in hypothesi ann. lunarium. Cf. Nicolai Diss. XVI. in Daniel.

(a) Cf. בַּסְּפָרִים v. 2. deberet *Athnach* reperiri sub הַשָּׁנָה Ps. LXXXII. 8. sub אֲדָם pro אֲדָמִים Ps. LXXXIV. 15. Prov. VI. 12.

Eadem responsio aptari debet postremæ hebdomadi, etsi accentus ille hic non occurrat. Porro interpretes illi, qui contendunt hanc unam hebdomadam connecti ac conjungi minime debere cum reliquis LXIX. perinde ac illi qui vellent dimidiam hebdomadam a cyclo LXX. hebdomadam divellendam, decepti sunt ex opinione quod eversio hierosolymitana per romanos inducenda necessario intra has chronologicas determinationes hujus nostræ prophetiæ includi debeat: quæ opinio jam Scaligerum ad maximas angustias redegit (a); hoc tamen in vaticinio non dicitur, imo eversio post completum LXX. hebd. cyculum eventura aperte prænunciatur; et articulus הַשָּׁנָה perspicue ostendit cujus hebdomadis illa media pars sit.

Ad 3. D. Nonnulli Patres referunt complementum vaticinii Danielis ad finem mundi in sensu, ut fertur, inclusivo communis expositionis, C. in sensu exclusivo N. Nempe isti Patres cum spectaverint Solymorum eversionem velut figuram extremæ mundi cladis, hinc vaticinium Danielis ad illam etiam retulerunt, quin excluderent objectum præcipuum et immediatum, Messiam nempe, ac punitiorem infidelium Judæorum ob necem eidem illatam (b).

§. III. — *Expenduntur vaticinia Aggæi et Malachia.*

Hæc duo vaticinia conjungimus tum quia lucem sibi invicem afferunt, tum quia de eodem argumento sunt. Cum igitur summa affecti essent mœstitia Judæi seniores ex captivitate babylonica reduces quibus templi Salomonici magnificentia probe erat perspecta, nec possent fletum colibere zorobabelicum intuentes, Deus per Aggæum eos solatur pollicendo longè majorem futuram hujus secundi templi gloriam ex præsentia futuri Messiae quam prioris gloria fuisset.

Sic autem Judæos ex Dei nomine Aggæus affatur cap. II. 4. seqq.: « Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?... Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram, et mare, et aridam: et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus: meum est argentum, et meum est aurum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem. »

Per Malachiam vero c. III. 1. seqq. ita Deus querulos Judæos de divina providentia, ut inferius enucleatius exponemus, alloquitur: « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem

(a) Cf. Vitringa Hypothesis hist. et chronol. 4. p. 404.

(b) Cf. s. Iren. lib. V. cont. hæres. c. XXV. §. 4. seqq. ed. Massueti. Origen. Comment. in Matth. opp. ed. Maur. tom III. p. 858. seqq.

Vid. de hoc argumento præter auct. cit. Jacobus Ayrólus S. J. Liber LXX. hebdomad. resignatus seu vaticinium Danielis illustratum. Romæ 1714. Insuper Demonst. evang. propos. IX. c. 8. Tourne mine Dissert. chronolog. XVI. ad calcem comment. Menochii, etc.

meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. »

Ex collectione vero horum vaticiniorum eidem methodo insistendo, quam in reliquis enucleandis sectati sumus, operosum non erit ostendere tum ad Messiam ea spectare, tum epocham in iisdem determinari adventus ejusdem Messiae, tum denique hanc ipsam epocham jamdiu elapsam esse.

Primum autem sic conficimus: ex productis vaticiniis major futura erat gloria domus, sive templi posterioris quam prioris quia ad ipsum venturus erat Desideratus cunctis gentibus, Dominator quem Judæi expectabant, quique Angelus Testamenti seu fœderis dicitur, ac venturus erat ad templum suum, et ad cujus adventum commovendi erant cœli ac terra, mare et arida, ac brevi quidem venturus erat. Jam vero hic non est nec esse potest nisi Messias cui soli expositi characteres competere possunt, ut per se patet, atque ex confessione celebriorum ipsorum Rabbiorum; ex antiquioribus eminet R. Sira, qui floruit ante secundi templi eversionem, in Talmude tract. *Sanhedrin*. c. XI. ex recentioribus autem non pauci in *Devarim rabba* sect. I. fol. 250. tum Rasci in cit. *Sanhedr.* fol. 93. Akiba et R. Manasses in Conciliatore p. III. p. 184 (a).

Alterum constat ex termino, qui saltem negative præfigitur ejusmodi adventus, nempe, stante adhuc secundo templo ad quod præsentia sua cohonestandum venturus erat promissus Messias ex utriusque prophete vaticinio, ita ut non prius destruendum esset, quam ad ipsum venisset desideratus cunctis gentibus.

Cum vero ab octodecim seculis flammis consumptum sit zorobabelicum templum, primum est colligere jamdiu transactam epocham esse ab Aggæo et Malachia prædictam, ac propterea, quod consequens est, jamdiu advenisse Messiam.

DIFFICULTATES.

I. Obj. Vaticinium Aggæi nulla ratione ad Messiam referri potest. Repetit enim propheta secundi templi gloriam non ex Messiae præstantia sed ex divitiarum affluentia. Hac enim de causa fiebant seniores Juda, quod nimis distare cernerent templum a Zorobabele excitatum a magnificentia et divitiis templi Salomonici; quod magis perspicue eruitur ex verbis sequentibus: « meum est aurum et meum est argentum » ac si diceret: « mihi est argentum, et mihi est aurum, inquit Jehova, argento et auro, quo instructissimum fuit prius templum, possum et hoc ornare, et ornabo suo tempore; nam mei juris sunt hæc omnia. Quare non est, cur de ornando templo nunc extracto sitis sollicitus. » Nec alium sensum patiuntur reliqua vaticinii adjuncta, etenim verba illa « adhuc modicum, seu ut hebraice dicitur: adhuc una (scilicet vice) et ego commovebo caelum, » etc. sic explanari debent:

(a) Cf. Derossi op. c. cap. III. §. 12. seqq. Raym. Martini p. 376. seqq. et 380. seqq. ed. cit.

per ingentem universitatis rerum mutationem efficiam, ut commotis illis moveantur omnes gentes, et venient desiderium, id est, desideria (דְּשִׁימוֹת collectivum singulare), seu res desideratissimæ atque pretiosissimæ omnium gentium. Prædicat igitur Aggæus futurum esse ut donis pretiosissimis ab omnibus gentibus Hierosolymas comportandis templum Jeovæ nudum adhuc atque inornatum plus nanciscatur magnificentiæ et ornamenti et splendoris quam olim habuerit, et templum hoc secundum *replebo gloria*, ornatissimum et splendidissimum illud reddam (a). Sive igitur scopum prophetæ, sive nativum verborum sensum, et adjuncta omnia spectemas patet, etc.

R. N. A. Ad prob. negamus pariter quod adversarii assumunt ex sola divitiarum affluentia, non autem ex Messiae præsentia repetere prophetam majorem secundi templi gloriam: 1. quia hæc expositio non messiana exploditur a veteris synagogæ sensu, ut ex adductis constat: 2. quia falsum foret vaticinium; tametsi enim valde contulerint ad ornandum templum reges persæ, præsertim vero Herodes (b), in immensum tamen semper secundi templi gloria spectata divitiarum copia a templo Salomonico distetit (c); 3. quia latentibus Hebræis quinque illa decora secundo templo abfuerunt quibus primum instructum fuit, urim scilicet et thumim, seu rationale judicii, arca, ignis et præsentia Dei in propitiatorio, et Spiritus Sanctus (d); 4. quia absurdum est fingere tam magnifico apparatu voluisse Deum herodianam molitionem prænunciare nullo habito respectu ad gloriam quam eidem allatura olim erat Messiae præsentia, cum tamen Apostolus ad Heb. XII. 26. ad Christum referat hoc vaticinium juxta sensum traditionalem synagogæ. 5. Denique ex ipsa adversariorum agendi ratione. Etenim ipse Rosenmüller quem impugnamus, non diffidetur Aggæum, seu ut ipse loquitur « vatem, quæ hic prædicat temporibus messianis eventura sperasse: » et in cap. III. v. 1. Malach. immemor eorum quæ scripserat in scholiis ad Aggæum, inquit: « Veniet ad templum suum, nempe secundum, quod per Messiae adventum gloriosius primo templo futurum esse prædixerat etiam Aggæus. » Tanta veritatis vis est, ut vel ab invitis testimonium extorqueat!

Ex his facile corruunt cetera quæ ad elevandam

(a) Ita Rosenmüller Schol. in V. T. in h. l.

(b) Cf. Jos. Flav. Archæol. lib. XV. c. XI. ed. Havere.

(c) Cf. p. I. Paralip. c. XXII. 14. XXIX. 5. seqq. II. par. III. IV. cf. etiam Jo. Frischmuthi de Gloria templi secundi ad cap. II. 7-10. Agg. T. I. Thesauri theologico-philologici cit. p. 994. seqq.

(d) Cf. Raym. Martini p. 381. ubi inter cetera refert testimonium ex Talmud in lib. *Soma* dist. *schibbat*: « dixit R. Acha: quid est quod scriptum est Agg. I. v. 8. et complacete in ea דְּשִׁימוֹת et honorabo eam? quid sibi vult quod deinceps deest littera הֵ? Hæc sunt quinque res, quæ fuerunt inter primum sanctuarium et ultimum (secundum), sunt autem hæc: Arca cum propitiatorio, et Cherub, et ignis et divinitas, et Spiritus Sanctus, et Urim et Thumim. » Reliqua in eandem rem testimonio illi recole.

hujus vaticinii vim congesta sunt, tum scilicet Rosenmülleri paraphrasis, tum expositio R. Kimchi dum autumat ita reddendum prophetici hujus loci sensum: « omnes populi quos commovebo, e terris suis advenient cum desiderio (nam subaudit præfixum \aleph) omnium gentium, id est, adferent res omnes desideratas et pretiosas, quæ in terris ipsorum reperiuntur, velut vasa aurea et argentea, vestimenta et gemmas; » in quem sensum Isaias LX. 6. florentem populi hebraici statum sæculo aureo describens inter alia hæc dicit: « convertetur ad te copia maris, opes gentium ad te venient; te camelorum agmina obruent, dromades madianitici, et ephani, omnes ex Sabæa venient, aurum et thus afferentes et Jovæ laudes predicabunt. » Siquidem vaticinio facta minime respondissent. Reliquum proinde est ut per hoc desiderium gentium Messiam ipsum cum vetustioribus Hebræis intelligamus. Quin vero obstat huic expositioni vaticinii scopus, eidem maxime coheret. Contextus enim ostendit prophetam solari voluisse Judæos ob defectum auri et argenti quem ipsi in secundo templo deprehendebant, quasi diceret: quid solliciti estis de auro et argento, meum est aurum et argentum, quæ mihi præto sunt, quoties mihi libuerit, sed gloria secundæ hujus domus non ex magnificentia auri et argenti, sed ex eo quod in eam venturus sit desideratus cunctis gentibus est repetenda, atque ex hac parte longe priori domui præstabit (a). Quod clarius adhuc significatur per Malachiam vaticinium.

(a) Quum adversarii potissimum vim faciant in verbis illis v. 8. « et venient desiderium cunctarum gentium, » placet hic adducere solutionem viri minime suspecti. Dr. Scheibel in Observat. crit. et exeget. ad vaticinia Haggæi. Vratislaviæ 1822. p. 27. hæc habet: *venient desideria*. Ita verterunt interpretes antiquiores; recentiores *venient pretiosa* scilicet vasa, et laudant loca II. Chron. XXXII. 27. Jerem. XXV. 34. Hos. XIII. 15. Nah. II. 10. II. Chron. XXXVI. 10. Sed in locis Chronicorum (Paralipom.), Jeremiæ, Hoseæ, Nahumi legimus: כָּל הַדָּבָר, non solum הַדָּבָר, et ejusmodi diversa dicendi ratio, quæ quibusdam interpretibus V. T. levioris momenti videtur, in omnibus ceteris linguis et auctoribus accurate distinguitur. Contra הַדָּבָר sine singulari adhibitamento nil aliud significare, quam *desiderium*, dicitur e Ps. CVI. (in vulg. CV.) 24. Jerem. III. 19. Dan. XI. 57. Jerem. XII. 10. I. Sam. (I Reg.) IX. 20. VIII. 10. Aliam vero causam interpretationis de pretiosis vasibus volunt reperire in verbis versus sequentis וְלִי הַדָּבָר וְלִי הַדָּבָר, Propheta autem post verba וְלִי הַדָּבָר non statim adjungit וְלִי הַדָּבָר sed antea (v. 7.) וְלִי הַדָּבָר וְלִי הַדָּבָר; quod ad adventum Messie, et ad divitias illo tempore in templo coacervandas simul pertinere videtur. Messiam autem apud poetas (scilicet prophetas) Hebræorum futurum esse *solatium, desiderium, lætitiæ totius terræ*, ideoque paganorum, ex locis Is. XLIX. 9. 10. XI. 4. XLII. 5. XLI. 17. LXI. 1. constat. Pluralis vero וְלִי הַדָּבָר cum singulari connexus constructio est non infrequens. Cf. Glassium lib. III. Tr. 5. can. 54. Huic addimus Grotium; qui in h. l. « Magna, inquit, erit secundi templi gloria, quod in ea conspiciatur rex ille piorum omnium, et in ipso templo miracula edet. Vide Matth. XXI. 12. Messiam apparitum in templo secundo credidere Judæi omnes,

H. Obj. Quominus Malachiam vaticinium de Messia intelligamus vetat contextus, subdit enim immediate post adducta verba: « Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum » etc., hæc autem componi nequeunt cum miti Messie indole, qualem describit Isaias XLII. 1. seqq. Ergo.

R. N. Evanescit enim hæc difficultas si ratio habeatur contextus et scopi prophetiæ. Etenim sub finem cap. præced. inducuntur Judæi querimonias de divina providentia jactantes: « Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: omnis, qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent: aut certe ubi est Deus iudicii? » Hinc Cap. III. incipit Dominus: « Ecce ego » etc. ac prosequitur: « et quis stabit » etc. vaticinans nullum querulorum hujus generis, qui Messiam victorem gentium desiderabant substitutum cum advenerit; huic enim interrogationi negativa subest sententia. Deinde subjicit causam, exhibens scilicet Judæos et in primis sacerdotes et levitas participes ejusdem blasphemæ quærelæ, ut massam auri et argenti multa scoria mixtam, et ut pannos vel vestes sordibus infectas, quæ purgandæ sunt. Porro quemadmodum conflatores vehementissimè igne scoriam ab auro et argento, et fullones herba *salsuginosa* sordes a vestibus separant, ita Messias venturus acerbis suppliciis et calamitatibus immissis improbos hujusmodi querulos et blasphemos Messiam victorem desiderantes a probis separabit et delebit (a). Hæc vero non erant præstanda ab ipso Messia sed a romanorum armis et exercitiis, seu ut loquitur Daniel a populo ducis venturi. Ita quæcumque sive Malachias, sive alii prophetae de ultione ab infidelibus Judæis repetenda dixerit, optime componuntur cum miti Messie caractere, nempe personali, qualis ab Isaia describitur (b).

qui ante excidium vixere. Ex eo tempore comminiscuntur interpretationes novas, violentas, varias ad hæc loca clarissima. »

Cf. etiam Sanctium in Prophet. Min. Ackermann *Prophetæ Minores perpet. annot. illustr.* Vienn. 1850. (a) Cf. Jahn Append. Hermeneut. fascic. I. p. 57. seqq. explicatio Malach. II. 3. etc.

(b) « Vaticinii, inquit Jahn. l. c. p. 63. sensus est: Ille, quem desideratis, Messias omnino venturus est, sed non erit, quem exoptatis, bellator, qui ethnicorum imperium evertat, et gentes vobis subjiciat, sed iudex divina dignitate indutus, qui improbos Judæos et in primis duces ceterorum, posteros Levi, atrocissimis poenis perdet, nihilominus non penitus exterminabit. Præcedet autem legatus seu propheta, austeritate vite et severitate reprehensionum Eliæ similis, ut animos Judæorum disponat, seu eum sensum ipsis inspiret, quo majores eorum Abraham, Isaac, Jacob etc. animati erant, quo conatu irrito, regio prorsus vastabitur. »

Cf. etiam Sanctium in h. l. Ackermann, Hengstenberg op. c. Veteres Judæos utrumque vaticinium Aggæi nempe et Malachiam de Messia interpretatos esse ostendit adductis ipsorum testimoniis Schoetgenius op. c. p. 217. et 224. seqq.

PROPOSITIO IV.—*Officia ac munia a promisso Messia juxta prophetas obeunda eundem advenisse luculenter ostendunt.*

Ejusmodi munia ac officia a promisso Messia juxta prophetas obeunda præcipua sunt abrogatio veteris cultus et sacerdotii ac novi substitutio; gentium ad veri Dei cognitionem et amorem vocatio ac judæi populi rejectio atque dispersio. Si igitur ostenderimus tum duo hæc munia juxta prophetas a futuro Messia adimplenda, tum jamdiu adimpleta fuisse propositum obtinebimus: porro utrumque certissime constat.

Ac primo quidem veterem cultum et proinde sacerdotium, adveniente Messia, fore abrogandum novumque eidem sufficiens apertum est ex Malach. I. 10. seqq. dicente: « Non est enim mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus. » Quibus verbis Deus denuntiat abrogationem veterum sacrificiorum quæ ex legis præscripto in templo offerebantur ut eis sufficiat aliud sacrificium; ideoque 1. loquitur de sacrificio externo et proprie dicto sive abrogando sive sufficiens; 2. loquitur de subrogatione novi istius externi sacrificii offerendi in omni loco ad discrimen veterum sacrificiorum quæ uni loco, seu templo affixa erant; 3. loquitur de sacrificio tanquam præcipuo religionis caractere quo non minus dignoscetur a gentibus se coli in universo terrarum orbe quam olim cognoscebatur per sacrificiorum exteriorum immolationem a Judæis in hierosolymitano templo coli; 4. de ejus generis sacrificio substituendo loquitur, quod non jam in cruenta hostiarum immolatione consisteret sed in oblatione munda, seu (ut postulat usus hebraicæ vocis *minchah* ex Levit. II. 1. seqq.) *fero* sive *dono* quod frumenti farina conficitur, et quidem *thehorah*, *puro* seu *mundo*, ac propterea independente ab offerentium pravitate propter quam rejecturum se proficitur legalia sacrificia (a). Cum vero sacrificia partem essentialem exterioris cultus seu publicæ religionis constituunt, consequitur non posse sacrificia immutari quin immutetur cultus ipse. Insuper immutato sacrificio immutetur necesse est et sacerdotium ob intimam utriusque relationem. Ergo per prophetam Malachiam cultus mosaicus et mosaicum sacerdotium abroganda erant ut novo cultui universali ac novo sacerdotio locum darent. Id autem

(a) Cf. Bible de Vence cinq. édit. Paris. 1832. tom. XVII. préface sur Malach. p. 469. seqq. Hengstenberg ex anticipatis judiciis suæ sectæ in Christologia V. T. et commentar. in Messiana vaticinia part. III. Berlin. 1855. pag. 414. scribit: « in וְלִי הַדָּבָר est allusio ad opus operatum multo remotior; et quod est in ea externum facilius tanquam mera forma, vel tanquam cortex ideæ concipitur. » Ceterum hic auctor valde moderatum se præbet, et si huc illic nonnulla excipias in quibus ut suis morem gerat catholica principia carpit; ejus opus valde bonum est et causam christianam adversus rationalistas et socinianos optime tuetur.

adveniente Messia, imo per Messiam ipsum perficiendum fore habemus ex Danielis vaticinio paulo ante exposito in quo prædicitur sacrificiorum cessatio in medio hebdomadis septuagesimæ, imo et templi ipsius destructio, populi judæi dispersio in poenam rejecti Messie ac necis ipsi illatæ; cum igitur ab octodecim sæculis sacrificia legalia cessaverint una cum mosaico sacerdotio, ac nova religio, novus cultus, novum sacrificium per universum orbem obtineant, manifestum est Messiam jamdiu advenisse ac per ipsum tum veterem cultum abrogatum, tum novum susceptum (a).

Secundo. Gentes pariter ad veri Dei cognitionem per Messiam adducendas esse ubique sacræ litteræ enuntiant. Hæc enim referuntur quæ factæ sunt veteribus patriarchis Abraham, Isaac et Jacob promissiones quod in eorum semine benedicendæ forent gentes omnes; hæc spectant quæ de Messia vaticinatus est Jacob dum dixit: « et ipse erit expectatio gentium » seu « et ei obedientia populorum » aut « aggregatio populorum » vel etiam ut exponit paraphrastes chaldæus Onkelos « et ei obedient populi » ac Jonathas Ben Uziel alter chaldæus interpres « et propter eum diffluent populi » seu denique, ut vertit thargum hierosolymit. « et ei subicietur omne regnum terræ » (b). Hinc Ps. II. Messia pollicetur Deus: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam, terminos terræ; » sed luculentissime et graphice gentium reminiscencia et ad Deum verum converso prænunciatur Ps. XXI. 28. seqq. « *reminiscentur* (c) et convertentur ad Dominum universi fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. » Hæc ipsa repetit Isaias cap. II. 2. seqq. « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super col-

(a) Legem, seu vetus testamentum abrogari debuisse juxta antiquam Judæorum fidem, ac propterea cultum leviticum cum omnibus suis sacrificiis ac sacerdotium pluribus evincit Schoetgenius lib. VII. de Messia §. 9. 10. seqq. Cf. etiam Raym. Martini pag. 778. seqq. ed. Carpz. vid. Blas. Ugolini diss. *Altare exterius*, quæ extat t. X. ejus thesauri antiq. Judaicæ. cf. p. 685. seqq.

(b) Cf. De Voisin in præmium Pug. fid. p. 162. seqq. ed. c. aliis enim omissis in Berescit rabba sect. 88. legitur: « Dicitur Amos IX. 11. *illo die reedificabo tabernaculum David* etc. ita ut universus mundus fiat una collectio; » Sohar Exod. 71. col. 281. « Quando rex Messias revelabitur, tunc omnes gentes ad illum congregabuntur, ut confirmetur id quod scriptum est Is. XI. 10. *radicem Isai gentes quærent* » etc. Alii testimonia tibi exhibebit Schoetgen. op. c. I. VII. c. I. §. 26. seqq. ex quibus luculenter patet veteribus Judæis hanc inhæsisse communem fidem de vocatione gentium ad veri Dei cognitionem per Messiam.

Cf. etiam Petav. lib. XVI. De Incarnat. c. VIII. §. 3. (c) Vid. in hæc vocem pulchras observationes P. Berthier S. J. Explication des psaumes. Frigide prorsus Rosenmüller Schol. in Ps. XXII. (in vulg. XXI.) v. 28. scribit: *memores erunt* eorum, quæ laudo de Jehova acceperunt, ad ipsum se convertent, ipsumque venient adoratum. Nec mirum; judaizans enim hic interpres contra sensum totius antiquitatis, contra apertam N. T. auctoritatem negat in hoc psalmo agi de Christo.